

Secundum Opusculum fol. 85. dicatum *Ferdinando II.* Rom. Imp. cui simul et primum transmittit Autor, tractat praecipue *de extremo Judicio.* In Dedicazione subscripta anno regnantis gratiae 1628 *Adi 25 Aprilis* ait *Buschius* de sua methodo: *Vnd schreibe also, was mein Geist mir durch Mischung des Geistes Gottes in meine meditationibus so ich meistheils halte des morgendes fru halte, ein falle solliches notire ich midt auffstehende &c.* Narrat praeterea se a degustata Grammatica ad mercaturam translatum rem probe auxisse, sed interiisse omnia per infidos ministros, naufragia et contracta nomina, maxime *Unius culpa*, de quo lepide: *weiln ich mich nicht an ihm rechnen kan, so habe ich die Sach Godt befohlen.* Tractatus ipse in IX. ut vocantur, *Punctula* tributus est, quorum postremi argumentum est novi Coeli, novaeque Terrae post iudicii diem Creatio. Nec *Mollerus* in *Cimbria lit.* nec *Reimannus* in *Bibl. Theol.* ubi de *Scriptis fanaticis* agit, Nostri notitiam habuisse videtur. An ad eos pertinuerit, quos petit *Scriptum Ministerii Lubec. Hamb. et Luneb. Ausführlicher Bericht von den neuen Propheten, die sich Erleuchtete &c. nennen, Lubecae* 1634. dicere non habeo.

DXXXVII.

95 Codex chartaceus germ. Sec. XVII. scriptus Folior. 137. f.

continet *Libros IV. priores* de XXIV. quos Sec. XVI. *Aegidius Gutmannus* vir *παεαδοξολογος* sub titulo: *Offenbarung göttlicher Majestät*, i. e. Revelatio divinae Majestatis, instar Commentarii in prima 24. Vocabula hebraica C. I. *Libri Geneseos* somniavit, quique typis prodire primum *Hanoviae* 1619. 4. et iterum *Francof. seu Halberst.* 1675. 4. Cura *H. Ammersbachii.* De utraque editione admodum rara, magnoque jam saepius impendio procurata vide *Bibl. Reimman.* P. II. p. 682. et *J. G. Schelbornii Amoenit. lit.* T. III. p. 166. V. p. 293. Res, si *Reimmannum* audias, hoc in Opere *Paracelsisticae, Rosencrucianae, Paradoxicae* sunt. Praefatio admodum prolixa agit de *Bibliotheca*, quam Deus in I. *Geneseos* C. generi humano reliquisse dicitur. Quid contineat, an etiamnum integra sit, an accedi, legique possit. Inter cetera: *Ob nit in einem yeglichen wortt des Ersten Capittels, Ein sonders Buech Gottes, In einer solchen Größe, verfasset sey, Wann dasfällbig nach lengs verzeichnet werden solte, Das solches Buech, das ganz Europa nit fassen, vilweniger ertragen möchte.* Libro dein I. commentatur Noster in verba: *Im Anfang* i. e. In Principio. L. II. in verba *bat Geschaffen* i. e. creavit. L. III. in vocem *Götter* i. e. Dei, secutus hebraicum אלהים. L. IV. in vocem *Wasser* i. e. Aqua; sic enim hebraicum מים interpretatur.

2051

CODICES

2052

pretatur. Magna hic aquae virtus in omnia tribuitur, atque inter alia *c. ult.* ubi de ejus circulari per humanum Corpus motu sequentia leguntur: *Also feiret auch das wasser in des Menschens leib gar nit, sondern hat in gannzem leib, seinen augenblicklichen lauff, und fueret alle ding, so ir Ambt im leib verricht, wider zu den lufftlöchern heraus, in den blasen, und volgents stundlich gar aus dem leib, das gebet also scheibligs im Zirkel herumb, als lang der Mensch lebt.* An hic ante *Harvaeum*, post *Servetum* tamen, ad *sanguinis* per corpus *circulationem* adludatur, *Aesculapii* filiis dispiciendum relinquimus.

DXXXVIII.

893 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 3. f. continet Scriptum *Davidis Foris* five *Georgii* noti hominis fanatici *Delpbensis* ad *D. a Lasco* de *resurrectione*. Est istud, ut videtur, tantum Excerptum; adducuntur enim et aliorum *Davidianorum* de eadem *Resurrectione* *Somnia* et inter cetera cujusdam dicti *Huch Janfs* de *Shellyng Weerck*. Interim ad calcem legitur: *Halleluia. 25 Maj. ann. 1544. Finis maioris epistolae Davidis ad D. a Lasco.* Epistola haec igitur *Basileae* scripta est, ubi se mense *Aprili* h. a. *David* cum familia et adsculis quibusdam insinuaverat coemitis fundis in *Johannem de Bruck*, vel de *Binningen* mutatus, ut

Basileensis Studiorum Universitas narrat *Relatione* vernacula titulo: *David Georgen außz Holand des Ertzkützers warhafftige histori &c.* ibi a. 1559. 4. edita, quo anno *Viri* corpus exhumatum una cum *Libris* et *Icone* ejus picta per *carnificem* crematum est. In hac *Relatione* inter erroneas ejus opiniones recensentur etiam illa, quae *Scripti* nostri argumentum est, videlicet: *Christum*, ut ceteros omnes, secundum *carnem* abivisse in *viam* universae *carnis*, id est, perpetuae *mortis* corporalis, sed *filium* illum *Dei*, qui in illo extitit, conscendisse ad *dextram* patris secundum *spiritum*, et nunc in se, *Davide*, perfectiorem rediisse ad secundum *judicium*; et qui sunt ejusmodi horrores. *Scripti* initium est: *Ne arbitrare mi dilecte, quod nos, qui vivimus, aliud externum corpus induere debemus &c.* De *Joh. de Lasco* dictum est saepius, ut ex *Indice* liquet.

DXXXIX.

400 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 76. 4. continet *Somnia* *Homini* fanatici et inepti temere in chartam coniecta de *Utriusque* *Reipublicae*, maxime vero *Sacrae* *Reformatione*, quorum *Elenchum* in calce positum delibabo: *Ad christianissimum et inuittissimum romanorum &c. regem ferdinandum. Ad omnes gentes colloquium. Ad illustrissimos christianorum omnium oratores. Ad homines*